Handschrift

Seite 110r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

virginis virtute meruit liberari. Anno autem tricesimo tertio
post obitum sancte Gerdrudis inspirante domino venit
in cor germane sue Becte nomine. ut ipsa sibi mona-
sterium vellet construere. et tali devocione ad mona-
sterium beate Gerdrudis venit. postulans Agnen abba-
tissam. simulque omnem congregacionem ut aliquod solacium
ei prebuisset de causa spirituali unde maxima necessitatem
habuisset in inicium devocionis sue. Omnis vero congregacio
amantissimo animo susceperunt peticionem quam postulaverat
ab eis. et dederunt reliquias et libros sacre scripture
Similiterque dederunt ei sorores spiritales seniores que
monasterium ipsum docere potuissent regularem vite normamque
et religionis inicium. et ex eodem lecto partem a quo
beata Gerdrudis migravit ad christum. Tunc christianissima
matrona acceptis omnibus que ad reverenciam religio-
nis pertinebant. detulit ad monasterium suum cum gaudio
et exultacione magna. Cum appropinquaret autem monasterio
quo tendebant. levaverunt cruces cum canticis et lau-
dibus et deferebant reliquias et secum de lecto sancto detulerunt
ponentes iuxta altare sancte Genovefe virginis. Nullus autem
hominum verbis potest explanare quanti erant ibi
a demonibus mundati. quanti ab infirmitate curati. et
de quacumque oborta tribulacione liberati. Anno autem
secundo perfectis omnibus matrona migravit ad dominum
Post multos eciam dies ad monasterium idem quedam
religiosa femina nomine Atula venit. orta ex nobili
genere. in omnibus vere ancilla christi. in habitu casta.
in humilitate religiosa. in caritate non ficta. in eleemo-
sina larga. egenis et pauperibus hospitalis. et tamen
dubitacionem habebat utrum tanta dei signa et virtutes
per meritum beate Gerdrudis ostendere dignatus esset an non.